

Facultatis Medicae in Academia Lipsiensi ... Procancellarius Iohannes Ernestus Hebenstreit ... de medicis archiatri et professoribus disserens panegyricum medicam indicit.

Contributors

Hebenstreit, Johann Ernst, 1703-1757.

Publication/Creation

Lipsiae, [1741]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t49uatjx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FACULTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PROCANCELLARIVS
D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT
ANAT. ET CHIR. P. P. ORD.
DE MEDICIS ARCHIATRIS ET
PROFESSORIBVS
DISSERENS
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT.

INDICIT.
PANEGYRII MEDICAM
DISSEENS
DE MEDICIS ARCHIA TRIS ET
ANAT. ET CHIR. P. P. ORD.
D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT
PROFESSOR
ACADEMIAE LIPSIE NSI
IN
FACULTATIS MEDICAE
H. T.
PROFESSOR





Postquam summa rerum potestas penes Romanos vnus voluntate stare suscepisset, habuerunt, quo bene mererentur medici Imperatoribus familiares, nec sibi tantum et suis, sed toti ordini medicorum immunitates, priuilegia et honores publicos pacti sunt. Num serui et iliberales homines Romanorum capita curae suae tradita habuerint, sicut disputatum est, ^{a)} ita seruos fuisse istorum temporum medicos, dignitati artis nihil derogat. Ab eo autem tempore, quo parere vnus imperio didicerunt superbi homines, liberalium etiam artium fuerunt studiosiores. Honorum adeoque medicis redditorum, eadem est, quae mutatae Reipublicae periodus. Pompeius Magnus ^{b)} Leneum Pompeium Libertum, Marci Antonii vxor Cleopatra, Pedacium Dioscoridem Anazarbaeum ^{c)} in honore habuerunt. Iulius Caesar ^{d)} non vnum tantum, cuius in vita eius mentio fit, sed omnes singulari amore amplexus est, quos ciuitate donauit. ^{e)} Depraedicatur inter omnes Antonius Musa, cui non tantum ob salutem Caesari datam, sed ob insignem in arte scientiam, inclaruit enim libello de Vetonica, S. P. Q. R. statuam erexit aere collatitio, iuxta signum Aesculapii, ^{f)} quem Liuiae amicum, id est personae medicum fuisse perhibet Bulengerus. ^{g)} Hic est ille, qui medicorum seruitutem cum libertate ciuitatis romanae permutauit. Ab eo tempore quamuis et plurimorum Imperatorum quosdam familiares fuisse medicos proditum sit, fuere teste Plinio, ^{b)} Cassii, Calpitani, Aruntii, Albii, Rubri, qui annua mercede essent apud Principes. Cum autem plures medicos stipendiis alerent Principes, quem ex omnibus cariorem habebant, praefecerunt reliquis: quod primum ita effectum est a Vespasiano

* 2

prout

a) Congers Middleton de medicorum apud Veteres Romanos degentium conditione, contra Iacob Spoonium et Richard. Mead. seruilem fuisse eandem contendit, Cuius recensio est in Actis Erud. Lips. a. 1727. Mens. Mart. p. 126. et anno 1728. Mens. Apr. p. 182.

b) Plin. H. N. L. XXV. c. 2. Aul. Gell. N. A. L. XVII. c. 16.

c) Suidas in Voce Διοσκουρίδης.

d) Sueton. in Iul. Caes. c. 4.

e) Ibid. c. 24.

f) Sueton. in Aug. c. 59.

g) De Imperat. Rom. L. II. c. 21. h) Hist. Nat. Libr. XXIX. c. 1.

IV

prout habetur in marmore Gruteriⁱ⁾: Paederoti Aug. Lib. Al-
 ciminiano superposito medicorum: vnde procul dubio Ar-
 chiatrurum nomen ortum traxit. Quamuis enim primum
 aliquem medicum Archiatrum appellare nefas non sit, ex in-
 stituto tamen Imperatorum aliam eorum fuisse dignitatem in-
 telligimus. Erant enim Praefecti medicorum non tantum curiae
 vrbis aut Legionis sed prouinciae, singularibus gaudentes priui-
 legiis, prout habetur Cod. Lib. X. L. 6: vbi de Archiatis, quos ab
 ex archiatis qui proximam potestatem haberent distinguimus,
 legitur: Nam exarchiatron vocare ita graecum est, prout Exar-
 chatus per Italiam, voci auctoritatem dedit: Si enim lego L.
 2. Cod. Theodos. de Med. et Prof. *Archiatrum omnes et ex archia-*
tris, imperare mihi nequeo, quin credam, legendum esse *ex-*
archiatrum; Id quod cum instituto Imperatorum apprime con-
 uenit, quos legimus iussisse, quo in locum defuncti archiatri sur-
 rogetur, qui ex numero fuit sex septemue virorum, penes quos
 erat rerum medicarum per prouinciam arbitrium. Tot enim,
 quot regiones vrbis Romae fuisse Archiatros L. 9. Codicis
 Iustin. de Med. et Professoribus itidem L. 8. Codicis Theodo-
 siani de Med. et Professoribus, clare intelligimus. Haec mo-
 numenta nos vberiore modo docent, prudentissimum Tri-
 bonianum, salutem populorum ita curae cordique habuisse,
 vt pro auertendis funditusque delendis agyrtis, fumiuentulis
 et impostoribus, Magistratibus medicis sanitatisque collegiis
 summam decernendi potestatem faceret, *quare ad Archia-*
triam, non patrocinio praepotentium, non gratia iudicantis, sed
fidei circumspectoque delectu et ipsius Imperatoris iudicio per-
uentum est. Sacratissimae autem Imperatorum personae et
 Palatii Archiatros alios, leges indicant. *Cod. Theodos. et Iustin.*
de Comitibus et Archiatis S. Palat. Archiatros intra Pala-
 tium militantes, quos Comitiorum primi Ordinis nobilitauerit
 gradus, itidemque vicarios et duces, qui Comitiam primi
 Ordinis meruerint, qui comitiuae indepti sint insignia, nomi-
 nat legislator. Abinde superesse arbitror, quod in titulis medi-
 corum Curiae Imperialis, qualis Praesidi Academiae Imperialis
 Leopoldino Carolinae Naturae Curiosorum concessus est, ha-
 beatur SACRI PALATII LATERANENSIS, AVLAE CAESA-
 REAE

i) Inscript. T. I. p. 581. Inscr. 7.

REAE ET IMPERIALIS CONSISTORII COMITI. Magna hodie in Augustissima Imperatoris Russiae Curia intercedit inter Sacrae Personae medicum et Archiatrum differentia, quamvis enim utraque dignitate polleant Proto-Iatri, diuerso tamen funguntur officio quam archiatri, dum Collegio medicorum et omnibus rebus ad rem medicam per Imperium pertinentibus praesunt, quale quid etiam per Sueciae Regnum obtinere intelligimus: Sicut autem singulare id fuit medicorum decus, non *imperari*, quod incultioris Romae erat, sed *imperare*, ita non minoris dignitatis fuit, nomen Professoris prae caeteris mereri. Sic enim habetur Cod. Theod. de Med. et Prof. l. 14: *Ea, quae Principes veteres Archiatri Sacri Palatii salutaris ac necessariae artis Professoribus Sacro et mansuro in aeternum iudicio detulerunt.* Quamvis enim omnium disciplinarum Professores Romae aluerit Imperatorum gratio, medicos tamen hoc honoris titulo gauisos esse prae caeteris, docet Marmor Helueticum, quod inter antiquissimi Auentici rudera ipse legi:

NVMINIBVS AVGVSTI
ET GENIO COLONAE HELVETICAE
APOLLINI SACRVM
Q. POSTVM HYGINVS
ET POSTVM HERMES LIBERTVS
MEDICIS ET PROFESSORIBVS

Fuerunt scilicet Romae Medicorum scholae, qualis erat Collegium Aesculapii et Hygeae, prout est in marmore Gruteri Inscr. T. I. p. 582.

M. LIVIO CELSO TABVLARIO
SCHOLAE MEDICORVM
M. LIVIVS EVTICHVS
ARCHIATROS OLL. D. II.
IN. FR. PED. III.

Quapropter medicos a professoribus qui in Capitolio docebant, prouide leges diuidunt iisdemque sicut in vniuersum omnibus medicis singularia priuilegia et immunitates tribuunt, stipendiis erogatis, decreta annona, vxoribus et liberis

immunitate donatis, prout passim est in Codice. ^{k)} Quotusquisque est quin intelligat, securitati publicae, sancitis medicorum ordini legibus, prospexisse Imperatores ne Chirurghi, ocularii, aliptae aut Iatroliptae similesque medicastrum, Vitam ciuis romani in periculum adducerent. Tales enim fuisse seruos medicos, illiberalis scilicet ingenii homines et mercenarios, lucri cupidos artisque ignaros, exinde clarum esse arbitror, quod eo ipso tempore fuerint medici liberi et a principibus romanis honore habiti. Sic Cleopphantum medicum tanquam hominem spectatum laudat et Lysoni honorem habere iubet Cicero ^{l)}. Prospexerunt adeoque Imperatores, ne ulli, nisi qui a Professoribus eruditus antea fuisset Medicinam facere liceret, *cum omnes artes in iis reprehendantur, qui cum professi fuerint, satisfacere non possunt*; Id quod prudentioribus

^{k)} Magistris qui Ciuilium munerum vacationem habent, item grammaticis et oratoribus et medicis et philosophis, ne hospitem reciperent a principibus fuisse immunitatem indultam, et diuus Vespasianus, et diuus Hadrianus rescripserunt L. 10. Digest. de muneribus et honoribus. Medicos et maxime Archiatros vel ex Archiatris grammaticos et professores alios literarum et doctores legum vna cum vxoribus et filiis, nec non et rebus quas in Ciuitatibus suis possident, ab omni functione et omnibus muneribus, vel ciuilibus, vel publicis immunes esse praecipimus, et neque in prouinciis hospites recipere, nec villo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi vel exhiberi, vel iniuriam pati, vt si quis eos vexauerit, poena arbitrio iudicis plectatur, mercedes etiam et salaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituunt, l. 6. Codicis de Professoribus et medicis. Grammatici, Sophistae, Rhetores, Medici quemadmodum a reliquis muneribus ita a tutela et cura requiem habent. l. 6 §. 1. Dig. de excusationibus. Medicorum quoque eadem causa est quae Professorum, nisi quod iustior, cum hi salutis hominum, hi studiorum curam agant, et ideo iis quoque extra ordinem ius dici debet; Dig. L. 1. §. 1. Grammaticos oratores et philosophiae praeceptores, nec non etiam medicos, praeter haec quae retro latarum sanctionum autoritate consecuti sunt, priuilegia immunitatesque frui hac praerogatiua praecipimus, vt vniuersi, qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, cum comitiuum primi aut secundi ordinis adepti fuerint aut maioris gradum dignitatis adscenderint, nulla municipali administratione, seu accepta, testimonialem meruerint missionem; sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes L. 11. Digest.

^{l)} in oratione pro A. Cluent. c. 16. Epist. ad Famil. LXVI. Ep. 9. Cicero in Oratione pro Planco. c. 25.

ribus romanis omnibus ita visum fuit, ne capita committerent, *cui calceandos pedes nemo commiserit.* Sic habet Horatius. ^{m)}

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum aegro

Non audet nisi qui didicit dare, quod medicorum est

Promittunt medici, tractant Fabrilia Fabri.

Hinc per leg. 36. ff. leuissimam culpam praestant, qui rei ad se non pertinenti se admiscunt, et poenae irrogantur §. 7. Inst. de L. Aquil. l. 7. §. 8. et l. 8. pr. ff. eod. imperitis qui male fecant aut perperam medicamentum dant. Praestantissimos enim viros, penes quos vitae suae arbitrium esse vellent, exigebant romani, medicos, quales Suidas suos esse cupit in voce *ιατρός*. Est autem ipsi *ιατρός* ὁ ἐπισήμων οὐχ' ὁ ἰώμενος μόνον ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν αἰτίαν καὶ τὴν ἰάτρην γινώσκων, medicus rei medicae peritus, qui non morbis solum medetur, sed etiam causam secundum quam curat, cognoscit. Nostra autem aetate,

quamuis Medicis et artis salutaris Professoribus, a principibus et magistratibus non infimi honores statuuntur, nullae sunt leges adeo seuerae, quae pessimorum hominum, artem, quam ignorant facientium, nullo sacramento, quo recte faciant, obstrictorum, ferociam et summam licentiam compescere possint. Ipsa, quam maleferiati de perditissimis hominibus conceperunt fiducia, poenae loco est, quos male mulctatos, pessumdatis cum sanitate nummis ad frugem redire obseruamus saepissime. Ea Felicitate usus est haecenus ordo medicorum Lipsiensium, quod inter optima studia enutritos iuvenes nec molliter in Tentamine publico habitos medendi licentia donauerit, utpote qui nefas semper duxerit, illiteratis medicis terrarum orbem inundare: Nunc etiam laetatur, cum publico rei bene gestae Testimonio dimittere, bonae mentis et liberalis ingenii Iuuenem Clarissimum et Nobilissimum

IOANNEM ANDREAM VNGEBAYER,

ART. MAG. ET MED. BACCAL. DIGNISSIMUM
OBERPOELLNIZIO, QUOD PROPE NEOSTADIVM AD
ORILAM EST MISENENSEM.

Obtinui ab ordine meo, ut bene de me merenti, ex sorore nepoti, publica hac Panegyri, hanc referre gratiam possem

quo

VIII

quo mea potissimum autoritate studiorum suorum cum laude transactorum praemia reportaret. Postquam enim Parens eundem sacris destinasset literis, quibus etiam altero anno cum cura inuigilauit, a me ad medicinam ediscendam exemplum et amorem hausit. Non passus sum mihi persuaderi, quod pluribus dissuadere soleo, nec admisi Tyronem, nisi postquam de animi dotibus constitisset, quas ita quidem praestantes habuit ut ad artem natus videretur. Suscepit adeoque negotium non pueriliter et difficillimas res masculine aggressus est, nec taedio ediscendae rei herbariae nec Anatomies nausea detineri se passus est, quin utrinque recte proficeret, et berui tempore eo deuenit, ut me squalidis cadauerum sordibus extraheret hinc difficillimos quosque labores in se susciperet: Quo etiam factum, ut, quem communem praeceptorem et patronum veneramur, Illustris Archiater et Consiliarius Waltherus, dignum reputaret, pro quo suam penes externos fidem interponeret. Cum enim Generosissimus et illustris Imperatoris Russorum omnium Maiestatis Personae medicus et Archiater Fischerus, fortis animi et bonis literis imbutum iuuenem medicum hortique praefectum sibi exposceret, nostrum huic officio haud imparem futurum arbitratus est, nec reluctantem eundem habuit, qui nunc in eo est quo propediem discedat Petropolim. Non tulit ordo noster bene meritum dimittere pileo nudum, sed praemisso examine rigoroso, in quo praeceptoribus abunde satisfecit, diem eidem dixit huius Mensis XIX, quo a me Procancellario ad hunc actum publice constituto, Licentiam summos in arte honores impetrandi, habiturus est. Adsint Fauentes, Rector Academiae Magnus, Illustrissimi Comites, utriusque Reipublicae Proceres, Generosissimi et Nobilissimi Comilitones et Actum hunc sua frequentia concelebrent, id quod nisi denegauerint, habituri sunt nos ad mutua officia paratissimos. P. P. Dominica Exaudi, MDCCXLI.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

